

conjunctione consistens, quale est diapason, diapente, etc., apud Boetium lib. IV *De Music.* xv.

Moraliter disce hinc dignitatem doctorum sapientie, quod scilicet præ cæteris iustis et doctis sint amici Dei, quia plurimos doctos, id est probos, sanctos, Deique amicos, efficiunt: hi enim sine fictione docent quod a Deo didicerunt, quia non alio fine docent, quam quem Deus et sapientia ipsa requirit, scilicet ad Dei notitiam cultumque propagandam, et ad animas salvandas: qui enim alio fine docent, v. g. ad ambitionem vel lucrum proprium, fidei et dolose sapientia utitur, imo abutitur. Hinc rursus verus doctor sapientie sine invidia sua communicat, quia nil tam alienum a sapientia quam invidia: sapientie enim spiritus « suavis est, amans bonum, benefaciens, humanus, benignus, » etc., ut audiemus vers. 22; unde Ecclesiasticus, cap. xx, 32: « Sapientia absconsa, inquit, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam; » et Apostolus, Ephes. iv, 11: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (non propter se, ut sibi soli sapiant, sed ut alios doceant, nimirum ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; » unde ipse, I Corinth. ix, 16: « Væ mihi est, inquit, si non evangelizaverim! »

15. MIHI AUTEM DEDIT DEUS DICERE EX SENTENTIA, ET PRÆSERVARE DIGNA HORUM QUÆ MIHI DANTUR: QUONIAM IPSE SAPIENTIE DUX EST, ET SAPIENTIAM EMENDATOR. — Pro dedit S. Gregorius et Canticæus legunt, *det*, quod est optantis, cum prius sit asserentis. Declarat quomodo sapientiam sine fictione didicerit, et sine invidia communicat, quod scilicet Deus ei dedit facultatem et donum loquendi ex sententia, ut nimirum animi sui sensu, et quæcumque mente concepit, libero, facile, methodice, clare, gratiose, nervose eloqui valeat, ut auditores ea facile intelligant, capiant, retineant et exsequantur: multi enim suat viri docti in seipsis, sed sua sensa eloqui non valent, unde inepti sunt ad docendum; docti ergo, ut fiant doctores congrui, egent gratia et facilitate se explicandi, influentique in animos auditorum, ut his illa perspicue ostendant et efficaciter persuadent: ita hodie videmus nonnullos doctores, sed mutos et elingues; alios vero disertos et facundos, qualis fuit Salomon. Pergit hic enarrare Salomon que et quævia per sapientiam cognoverit, ut deinde vers. 22, in ejus laudes et eloquia sese effundat. Porro id facti non ex fastio, sed ex gratitudine, omnia enim refert in Deum, quasi sapientie omnisque boni fontem: nam, ut ait S. Augustinus in *Psalm.* lxxxv, 2, cum *Psalmes* *ibid.* ait: « Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati; imo et habere te cognosce,

inquit, et nihil ex te habere, ut nec superbus sis, nec ingratus; die Deo tuo: Sanctus sum, quoniam sanctificasti me, quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia merui. »

DICERE EX SENTENTIA. — Græce, *ἀπὸ τῆς γνώμης*: porro *γνώμη* nulla significat, primo, sententiam, nam *gnomæ* vocantur sententiæ graves, parabole et proverbialia: hoc secutus Vatablus vertit, *Deus dedit mihi sententiæ loqui.* Secundo vero, voluntatem, qua quis aliquid in mente statuit et decrevit, unde Budæus, et ex eo Jansenus: *κατὰ γνώμην*, inquit, est propria sponte, libere et libenter loqui: hoc secutus S. Bonaventura explicat, q. d. Ut firmus certusque pronuntiem de rebus, non habitans, non cunctabundus, sed quasi potestatem habens. Tertio, significat ingenium, iudicium, consilium; unde aliqui explicant, q. d. Deus dedit mihi gratiam loquendi ingeniose, subtiliter et erudite, sed simul cum iudicio et consilio nulli prudentique, quod auditoribus ubique suggero: quo fit, ut ubique proferam ea que congrua sunt ingenio, consilio et iudicio prudentie; unde Clarius vertit, *Dei dono habeo ut loquar eruditè que sentio.* Quarto, significat opinionem et existimationem, q. d. Deus dedit mihi ita sapienter loqui sicut congruum est opinioni, quam de me homines conceperunt. Quinto, nonnulli censent *γνώμην* subinde significare *gnomonem*, iudicium et regulam, qualis est stylus in horologio, qui per unam horam singulas notas et indicat, q. d. Ego in omnibus diebus sequor lucem doctissime rationis et Dei, instar umbrae et styli in horologio; verum hoc alienius videtur. Sexto et genuine, *γνώμη* significat sensum; unde Petrus Nannius vertit, *Deus dedit mihi, ut secundum mentem loquar, et animi sententiam exprimere valeam*, ut scilicet quæ sapienter mente concepi, sapienter eloquar, non tantum quoad rem, sed etiam quoad methodum et modum, quo ea in animo et cogitatione mea depinxi; unde viri sapientes, et egregii oratores apud principes vel populum peroraturi, non tantum puncta dicenda, sed etiam ordinem et modum, quo singula dicturi sunt, mente præconciipiunt, ut unum ex alio dependeat, sicut annuli in catena, se unum ex alio fluat, sicut latices ex fonte. Porro sapienter dicere tria requirit, primo, ut quis ea prius præmeditetur, ut iam dixi; secundo, ut ea proferat sapide, jucunde, hilariter, gratiose; tertio, ut ea promittat cum pondere, nervose, efficaciter et apposite ad persuadendum: tota enim vis fructusque orationis et orationis consistit in persuadendo, ait Tullius.

Porro quam fatua sit eloquentia sine sapientia, demonstrat apologus ranæ et anguilla, appositus epithetis venustus, apud Cyrillum, lib. II *Apolog. moral.* cap. xvi, cui titulus: *Contra arrogantes et eloquentia*: « Ranuncula in fonte genita, inquit, sine voce cum cauda, procedente die dum crederet, ac mutata forma, perdita caudula, loquentis iniquitissime ampullas accepisset; natans,

tem ibidem aspiciens, sine sono caudalam anguillam, mox eloqui vento tumens coram illa naturæ cepit arrogantia sue grates referre, dicens: Gratias tibi ago, quod non solum subtraxisti mihi caudam bestialitatis opprobrium, sed etiam rationis glorie faucibus tribuisti. hoc autem cum audisset anguilla, et tumorem fistus ejus ex ampullosa fabulatione notasset, ut superbiam confunderet, e contra subjunct: Ego sane, soror, nature grates offero, quod acutissimum jactantia sonitum a me abstulit, et mihi in effugium salutare longiore astutia caudam dedit. Ut quid, charissima, pestifero vento loquacitatis inflaris? Non attendis, quod inflata lingua dum eructat faucundiam, bullit stultitiam? quia statu superbia venenata mox a mente sapientiam figat. Verum quid est eloquentia sine sapientia, nisi incondita lingua, turpissima potentia, bucca sine fonte, equina dementia, ars incomposita, et dulcedo non modicum venenosa? » Ex quibus concludit, et hoc epimythium colligit: « Malo igitur sine vocis artificio cum formica gaudere prudentia, quam vocis tonitruo insanire cum asino, vel etiam cum júbilo captiva venare cum philonæa. Malo certe in æternum non loqui, quam locutione semperiternum captivanda in superbiam erigi. Quo dicto sub limbo se abscondit. »

Salomon ergo eloquentia æque ac sapientia excellit: et tam illa, quam hæc insigne est regum et principum decus, uti hic ipse insinuat; unde de Calliope, que eloquentiæ erat dea, sic canit Hesiodus in *Theogonia*:

Quæ reges etiam comitatur rite veredos.

Eloquentes fuerat Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius imperator, teste Tacito, lib. XIII *Annal.* sub initium, item Diomedes, Ulysses, Nestor, Pericles et Alexander Magnus, quem Dio, lib. II *De Rebus*, ita patri Philippo loquentem indicat: « Rhetorica quidem opus est regi: nam tu sæpenter rescribere coges, et contradicere Demostheni rhetori valde vehementi et impostori, alique aliis quoque, qui Athenis rempublicam administrant. » Hæc est illa Gallicæ Herculis imago apud Lucianum: « Catenulis aureis confertissimum hominum multitudinem trahens, omnes auribus vinctos, et quidem neque de fuga cogitantes, neque omnino resistentes, aut pedibus in diversum renitentes, sed sponte festinantes innoxii tamen catenulis summæ Dei lingue pertehræte et,

Quævis durissima corda,
Eloquio pollens ad sua vota trahit. »

Frrthos, Epuri rex, didicitab plures se urbes subteritice eloquentia Cynæ oratoris sui, quam armis, teste Valerio Maximo.

Myslicæ S. Gregorius, XIII *Moral.* cap. x: « Fit plerumque, inquit, ut fortiter dicant, sed tamen laxa ea que dicunt, vivere nesciant; unde bene

quidam sapiens dixit, *Sapient.* xv, 13: *Mihi autem Deus det hoc dicere ex sententia.* Sententia quippe a sensu vocata est. Et recta, qua intelligit, non ex sola scientia, sed ex sententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo secundo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit.

ET PRÆSERVARE. — Græce, *ἀποφυλάττει*, id est cogitare et mente concipere ea quæ dicenda sunt donis, quæ mihi a Deo data sunt et in dies dantur, sive quemadmodum docet Gona usca. Præsumere ergo est præconciipere, sive mente prius comprehendere et complecti ea, quæ pro dignitate rei eloquenda sunt: qui enim recte vult dicere, prius quid utique qualiter dicendum sit, præmeditetur oportet. Aliter Hugo, *cogitare*, inquit, *digne de datis*, est pro donis acceptis gratias agere: nihil enim dono ita dignum est, ac gratiarum actio. Alii, *cogitare*, inquit, *digne de datis*, est cogitare quomodo ea quæ nobis data sunt ad aliorum commodum, apte in eos dispensemus; melius noster a Castro, *præsumere*, inquit, est *præconciipere digna datis*: hæc pertinet ad privatam sententiarum, cui illa orationis facultas respondet: nam sunt, ut ait Cicero *De Oratore*, qui recte sentiant, cum tamen id, quod sentiunt, non possint ornate distinctaque dicere. Duo ergo sibi a Deo data gratulatur Salomon, et in loquendo faciundiam, et prælegere, quod Vulgatus dixit, *præsumere* ex cogitatis ea que dicturus esset, gravia et digna tantis donis, id est tanta qualia decet dona a Deo dari, et doctorem eorum Deum, non levia ac ludæica et inutilia, sed gravia, seria et multæ utilitatis utpote ex sapientia profecta. Canticæus pro *ἀποφυλάττει*, id est *quæ dantur*, legit, *ἀποφυλάττει*, id est *quæ dicuntur*, ut enim oratio sit congrua, debet esse digna rebus que dicuntur.

QUONIAM IPSE SAPIENTIE DUX EST. — Græce *ἀρχή*, id est *dux* vix sive *titulus*, quo scilicet e terra ad cælum celestemque vitam contendimus: sicut columna ignis per noctem, et rubis per diem præiens castra Hebræorum, eis erat *ἀρχή*, id est *dux* vix, per desertum in terram promissam. Exod. xiii, 21. Deus ergo est noster *ἀρχή*, id est *vix* in cælum dux, monstrator, inquit Corvantes, præceptor, coryphæus, princeps, auspex suavis pellicieus, et potentia fortiter impellens, estimator omnia suis momentis libans æqua lance, ac magni estimans eos, quos instituit: hos aliquos regendos habet, moderatur, rector, antea et gubernator, institutor formatorque eorum, quos sapientia imbuendos suscepit: uti dicitur magister rhetorices, philosophiæ, theologiæ, iure doct et princeps, v. g. medicine Galenus, philosophiæ Aristoteles, theologiæ S. Augustinus et S. Thomas, qui ut dux cæteris quos ducit præstat, præiungit in via, sicut magister puero, dux militi, strategus exercitui, stella Magis, doctrinæ et exemplo præluens: nam recte dux dicitur sapientie, qui discipulorum ægrina sicut acies militum ducit, item imperator primipilus, in gymnastica gymna-

sicorum exercitatione, quasi militari. Confidibus vite, æque ac sapientie et sermonis, *proses* et dux erat Mercurius, græce *ἑρμῆς*, id est *interpres* et *mutuus*, ita dictus, quasi *medicarius*, inquit Arnobius, et ex eo Giraldu, *Syntagm.* 9, hoc est *medicus curans*, quod sermo medius inter homines est: ideoque et *mutuus* dictus, quia per sermonem omnia enavigantur, ait S. Augustinus, lib. VII *De Civit. Dei*. Unde Julianus Apostata, teste Ammiano, noxè dimidiata semper exurgens occulte Mercurio supplicabat, quem in mundo velociorem sensum esse motum mentium suscitantem, gentibus tradidit. Verum verus fidelium *Mercurius* non est alius, quam Deus et Christus.

ET SAPIENTIAM EMBENDATOR. — Græce *ἄρσενος*, id est *moderator*, director, corrector, rector, rector, bene dispositio, qui scilicet latentem et incertum quid agat dicatque, moderatur et dirigit, labentem erigit, errantem corrigit, curvum rectorificat: *ἀρσενος* enim idem est quod *moderna*, dispono, dirigo, ergo, corrogo, reparo, rectum facio: sicut pedagogus puerum incongrue loquentem, scribentem vel ambulantem emendat, hoc est corrigit, erigit, dirigit. Nam Deus tribuit hominibus et sapientiam cordis, qua cogitent et elegant que sint dicturi, et eloquentiam sive moderationem orationis: nam corrigit, disponit et moderatur que dicenda sunt: unde subdit quod in manu eius sunt tum nos, tum sermones nostri. Romanum *ἄρσενος* est *moes*, cui vetes naves, ut recti in portum tendant, in meliorem statum restitunt, et felici successu uti facio: unde *orthosia* dicitur Diana (cuius meminit Pindarus in *Olymp.*, Lycophron et Phavorinus, teste Giraldo, *Syntagm.* 12 *De Diis gentium*) quod vitam hominis erigit, statuat, dirigat, secundet, et parientes, non solum natos, sublevet, expertes dolorum faciat, allevatos dirigat, et felices reddat; et Jupiter *orthosios* ab eisdem efficitur, erigendis scilicet excitandisque libescentibus. Deus ergo dicitur *ἄρσενος* *ἰατρος*, id est, *primo*, « sapientium stator, » perinde ac recens natorum infantium, ait Cervanus, qui constituit, servat et format stantes et cætos. *Secundo*, erector eorum, qui eos, si in via occipiant, notent, labescent, corruant, erigit sublevatque, et in locum suum reducit. *Tertio*, qui si illos, qui aduersis flatibus a tramite et via sapientie discedere faciles sunt aut amant, spiritu suo velat navem in portum salutis dirigit, qui eosdem deprehensos et reprehensos corrigit et emendat, et sic pristino statui, integritati et incoluntati, instat medicis et chirurgi restituit, restitutos insidit, et confirmat omni labe purgatos, quibus omnia prospera et votis advenientia contingunt; et sic prosperum iter eis facit Deus salutarium ipsorum, *Psal. LXVII.* 29. Ita Deus corripit, vel per Aronem direxit, vitium linguæ Mosis, quem legatum destinabat ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum, *Exod. iv.* Sic Chris-

tos corripit ignorantiam Nicodem, *Joannis iii.*, et Samaritanæ, *Joan. iv.*, scribarum et pharisæorum, *S. Petri*, *S. Joannis* et *Jacobi*, ceterorumque apostolorum et discipulorum, ut patet passim in evangelis. Denique Deus est sapientium emendator, cum eos de sapientia, vel bonis operibus præsentans, et vane gloriantes arguit, castigat, humiliat: ita Tyrannus, Hugo et Dionysius. Vere ethicus: « Supra modum si quis sapit, his desipit. Nemo sapit minus quam qui nimis. Intra modum quisquis sapit, vere sapit. » Hoc est quod Ecclesia et fidelis quisque implorando opem Spiritus Sancti, qui verus et summus est sapientie doctor, obsecrat:

Veni, Creator Spiritus,
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Et:

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

46. IN MANU ENIM JLLIUS, ET NOS, ET SERMONES NOSTRI. — *g. d.* In Dei arbitrio, polestate et providentia (horum enim symbolum est manus) est regere et moderari, tum nos, quam sermones nostros. Pro sermones græce est *λόγος*, quod tam sermones, quam rationes, cogitationes, ratiocinationes, discursus significat: hos enim omnes dirigit Deus; sed melius hoc loco Noster veritas, sermones, quia agitur de eloquentia. Hinc S. Augustinus, lib. IV *De Doct. Christ.* cap. vi, predicatorum monet, « ut sit prius orator Dei, quam dicitur: quia ut dicatur a nobis, quod oportet et ut oportet, non facit nisi ille, in cuius manu sumus, et nos et sermones nostri, » etc.; et S. Bernardus, epist. 87 *ad Ogerium*: « Si aliquid forte a me audisti quod possit prodesse tibi, gratias Deo age, in cuius manu sunt, et nos et sermones nostri: » nam in manu Dei est vita et fatus noster, *Daniel. v.* 23; ipseque omnia opera, tum naturalia, tum potius supernaturalia operatur in nobis, *Isai. xxvi.* 12: omnis enim nostra sufficientia ex Deo est, *1 Cor. iii.* 5. Denique « hominis est animam preparare, et Domini gubernare linguam, » *Proverb. xvi.* 1: quare initio sermonis cuiuslibet orandum cum Davide, *Psal. l.* 17: « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. »

ET OMNIS SAPIENTIA (græce, *σοφία*, id est *intellectiva*, prudentia, scientia; significat ergo scientiam speculativam, vel potius prudentiam sibi a Deo infusam); ET OPERUM SCIENTIA, ET DISCIPLINA. — Ita Romana græce duplicata est *ἑρμῆς ἰατρος*, id est *opificiorum scientia*; Prosper, lib. I *De Vocatione Gentium*, cap. ix, legit, et *operum scientia* et *disciplina*; Complutenses, et *operum scientia* et *disciplina*. Omnia hæc eodem redeunt et idem significant, scilicet *opificiorum scientiam*, ut habent Græca, id est peritiam artium mechanicarum

ram et agriculturæ; idem ergo *disciplina* quod *scientia*, puta cognitio sive peritia. Significat Salomonem cum sapientia speculativa sibi inditam a Deo scientiam factivam sive practicam, puta artium mechanicarum, ut architectonicam, mathematicam practicam, fabrilem, agriculturam, nauticam, etc. Itæ enim exercuit in fabrica templi, in cultura agrorum, in missione navium in Ophir. Sic Cato exoritur Romani dux peritus erat rei rusticæ, de eaque libros conscripsit, adeoque nulli ars neque private, neque publice rei gerendæ ei defuit, ait Livius, lib. XLIII, xxxiv; hinc Vitruvius dedicat Augusto imperatori sua scripta *De Architectura*: « Ut majestas, inquit, imperii publicorum ædificiorum per se nota haberet opera, et egregias auctoritates. »

Tropologicæ operum scientia est, que non tam verbo, quam opere et exemplo docet sapientiam et virtutem, ideoque efficacissima est, de qua S. Hieronymus epist. 2 *ad Nepotianum*: « Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, que dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat; » et S. Ambrosius, serm. 79 *De SS. Mart. etc.*: « Beneficere, prima doctrina est: cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, quod videtur; quod etsi vocatus non excillet, virtute tamen corda compungat: quis enim bonum factum videns non gaudet, miretur, imitetur, ac veluti tacto magistro ulens ejus exemplo doceatur? Dicitur igitur facta præcedunt, imo sine factis dicta nihil prosunt. » Plura ibi de eadem re; S. Augustinus serm. 3 *De Verbis Domini*: « Ita doctores molesta est causa dicere, nec facere; » S. Gregorius, *Pastoral.* part. II, cap. iii: « Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; » Tertullianus, initio lib. *De Patientia*: « Dicta factis deficientibus erubescunt; » S. Leo Pontifex, serm. in *Nat. S. Laurentii*: « Validiora sunt exempla, quam verba, et plenius est opere docere, quam voce; » et S. Bernardus, serm. 76 in *Cant.*: « Si pastor doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne nos: tam nutritia doctrina uberi, quam sterili vita noceat; B. Petrus Damiani, serm. *De SS. apost. Petro et Paulo*: « Bonus et perfectus magister (Paulus) qui fidem facit verbis operibus; » G. Guericus abbas Ignaicensis, serm. 2 *De Pentecoste*: « Suspecta mihi hæc est consolatio, si dicam, et non faciam; si suppellet eurrigra lingue, cum desint merita vite; » Eusebius ad Maximum episcopum in oratione ei dicenda: « Plus agendo populum insituit, quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam eruderant, que præbentur exemplo. »

17. IPSE ENIM DEDIT MIHI HOREM QUE SUNT (græce, *σοφίας*, id est *entium* vel *existentium*) SCIENTIAM VERAM; — græce *ἐπίστω*, id est non falsam, non mendaciam, sed veram et genuinam; hinc *primo*, ali-

qui docent Salomonem inditam a Deo fuisse scientiam omnium entium, id est metaphysicam, que pro objecto habet ens, ac considerat latitudinem entis. *Secundo*, alii scientiam entium reatum, etiam que actu non existunt, sed tantum sunt possible: ita S. Bonaventura. *Tertio*, alii omnium entium, que in rerum natura existunt, puta physicam; ita Jansenius, de iis enim se explicat in sequenti; unde Salomon vocatur summus *physiologus* ab Eusebio, lib. XI *Preparat.* cap. vi. *Quarto*, scientiam omnium entium, tam naturalium, quam supernaturalium, puta theologiam, quam proinde tempore Salomonis floruisse ex hoc loco docet Melchior Canus, lib. XII *De Locis*, cap. ii. Verius est omnium entium, non possibilem, sed existentium scientiam Salomoni inditam, idque quoad speciem, non quoad individua: nam individuorum omnium nec ipse Adam habuit, ut sciret quot lapilli jaceant in flumine, quot in individuo nascantur muscæ, apes, culicæ, quod volatus, gyros et bombos edant, etc., nisi doceret S. Thomas, I part. *Quest. XCIV*, art. 3. Idem de Christo sentit Franciscus Suarez, L. part. *Quest. XII*, sub finem: quia, inquit, hoc nec ad perfectionem scientie, nec naturalis prudentie videtur necessarium: idem docent. Scotus, Gabriel, Almainus et alii.

UT SCIAM DISPOSITIONEM ORBIS TERRARUM. — Græce *ἑρμῆς ἰατρος*, id est, ut Anastasius Nicenus, *Quest. XXXIX*, et Jansenius, *mundi constitutionem*; alii, *constructionem*, ut scilicet cognoscat qua ratione constructus et constitutus sit mundus, quibus partibus constet, et quo ordine nequeque dispositis. S. Ambrosius, lib. *De Fide resurrexerit*, legit, *compositionem*; Origenes, hom. 21 in *Lucam*, *rationem mundi*; noster Lorinus, *constitutionem ex partibus suis, et secundum variam collocaionem rerum que in mundo sunt, earumque cogitationem*, præsertim quoad primarias et precipuas mundi partes: hæc enim plene cognovit Salomon ex primis principiis et causis, quibus res constituta sunt, id enim innuit vox *ἑρμῆς*. Rursum S. Ambrosius, lib. *De Salom.* tom. II, cap. i: « Noverat (Salomon), inquit, mundane dispositionis introitum, qualiter esset hoc cælum omne, quod certum; ardua sublimitate suspensum; quemadmodum fieret aeris istius circumjectus, et fusus æquo moderamine, libratus in medio; quibus modis pigro ad inum delapsa pondere terra subsisteret; qua ratione intra certas littorum mareas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exeret, » etc.; ita ipse, paraphrasticè exponens locum Sapientie, de quo agimus, alludens, ut apparet, ad Iliud Poeta, I *Mistam*:

Ipse conrevi vis, et sicut pendere cæli
Emicuit, summaque lævæ sibi legit in arce;
Proxime est aer illi levitate hœpæ;
Densior his tellus, elementaque gravata tractat.
Et pressa et gravitate sui: circumflans humor
Ultima possedit, solidumque cœrent orbem.

Hinc patet Salomonem non tantum fuisse cosmographum, sed etiam geographum, qualem debere esse principem docet Lipsius, Excerpt. Polit. cap. vii; ac tales fuisse Adamum et Noe docet Arias in Apparatu; denique Abulensis in lib. III Reg. in. 41, docet scientiam Salomonis fuisse indelebilem, eo quod non per actus et species obiectorum esset acquisita, sed a Deo infusa, idque in gradu perfecto, quare nec per actus contrarios aut deceptionem potuisset deleri.

ET VIRTUTES (græce, *δύναμις*, id est *energiam*, vim, efficacitatem) ELEMENTORUM, — quam scilicet in labant in agendo singula elementa. Repeto ad omnia, ut sciam. « Prius Salomon doctrinam calidiorum et frigidorum, siccorum et humidiorum tradidit, » ait Anastasius Nicenus.

18. INTRINSECI ET CONSUMMATIONEM (Anastasius Nicenus, *Quæst.* XXXIX. legit *sciam*). ET REDUCTIUM TEMPORUM. — Origenes, hom. 21 in *Lucam*, pro temporum legit *secularium*: hæc enim e temporibus conflatur; S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. vii, legit, *intrinsecam et consummationem et meditationem motuum rerum*, et *divisiones temporum*: « Quod finium rerum, inquit, quis finis, quo sunt media? » Seneca est, q. d. Deus dedit mihi, ut cognoscerem totum decursum temporis a principio usque ad finem, et omnium que in tempore naturaliter accidunt, ut scideret nossem quomodo quisque dies, mensis, annus, sæculum incipiat, progrediat et desinat: philosophi enim est rerum principia, progressus et exitus perspicere. Tavo ergo hinc inferas, Salomonem cognovisse quo die finendus sit mundus, et quo die futuram sit iudicium: hoc enim negat Christus, *Marc.* cap. xiii, 32.

VICISSITUDINUM PERMUTATIONES, ET COMBINATIONES TEMPORUM: — ita Græca et Romana; perperam ergo aliqui legunt, *consummationes temporum* (alii, *omnium*), adduntque, *motuum mutationes*, et *divisiones temporum*: que duo verisimile est ex alia versione, vel aliquis interpretatione in margine prius adscripta, postea relata in textum: S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. vii, pro his omnibus tantum legit, *divisiones temporum*; lib. vero *De Simonone*, cap. i, legit, *divisiones et mutationes temporum*; Irigenes, hom. 21 in *Lucam*, *temporum permutationes*, et *translationes mensium*. Pro *vicissitudinum* græce est *εναλλαγή*, id est *conversionum*; peculiariter aliqui vertunt *motuum*, sic enim scribendum esset accento acuto *εναλλαγή*: enim sunt *conversiones*, qui hæc non pertinent: jam vero scribitur *εναλλαγή* pro accentum circumflexum, a *εναλλάξ*, id est *conversiones*, item *solsolito*, quod in eis sol cursum mutat et convertat: nam in solstitio æstivo a tropico cancri cursum reflectit ad tropicum capricorni; in solstitio vero hiemali a tropico capricorni scilicet ad tropicum cancri; nec enim ultra duos hos tropicos sol progreditur. Unde Vatablus verbi, *solsolitorum vicissitudines*: ita Cantacuzenus, Clarus, Lorinus, a Castro. Hinc et *εναλλάξ* vocantur

venti solstitiales. Gaza exponit, *status tropicorum*, id est quos *versarios* seu *receptores* nuncupamus. Per *combinationes temporum* intellige ceteras temporum vicissitudines, quales sunt dierum ac nocturnum, aut S. Bonaventura, æstatis et hiemis, veris et autumnii (quas pariter Cicero, *Tuscul.* I, vocat, *combinationes temporum* quadripartitas ad naturalitatem frugum, et ad temperationem corporum aptas), item mensium successiones, lunationes, lunæque incrementa et decremента.

19. ANNI CURSUS, ET STELLARUM DISPOSITIONES. — Pro *cursum* græce est *κίβδηλος*, id est *circulus* vel *circulus*, anni enim in orbem eunt et redeunt; unde annus hebraice dicitur *גִּזְרֵן* *sciam* a revolutione; græce *εναλλάξ*, quod in se redat; latine *annus*, quasi *annus*, id est annulus, quod in se revertatur; unde illud:

Alque in se sua per vestigia volvitur annus.

Pro *dispositionibus* græce est *θέσις*, id est *thesis*, positiones et situs stellarum seu siderum, eorumque motus, ortus, occasus, concursus, eclipse, etc., que naturaliter certo scri possunt ex astronomia; fuit ergo Salomon astronomus, at non astrologus iudicialis, ut ex astris et horoscopia divinaret de futuris contingentibus et actualibus libris: hoc enim temerarium est, stultum et impossibile.

20. NATURAS ANIMALIUM (jam eiecurum et domesticorum, quam ferorum et agrestium) ET HÆSTIARUM, VIN VENTURUM, ET COGNATIONES HOMINUM, DIFFERENTIAS VIRGULTORUM, ET VIRTUTES RADICUM. — *Itas*, græce *εναλλάξ*, id est *ambas*, itas, flores, qualis scilicet cibusque feræ sit ira, quibusque rebus iniretur, uti elephantum irritantur viro sanguine, bubali viso colore rubro et purpureo; unde nuper bubalus Romæ furibundus incurrat in Pontificem purpuratum, eumque confectus, nisi alicuius quidam modum se interjecisset, staque morte mortem Pontificis redemiisset. Mimis recte Vatablus cum Cantacuzeno verit, *actos*, exponitque de cicurione ferarum; effectus Salomon, ex plena cognitione naturæ ire ferarum, potuerit quoque nosse modum eas placandi et cicurandi, sicut elephantum ibidem infringi haurio hordei succo scribit Plineus, lib. VIII, cap. vi; hordeum enim refrigerat; unde medici febricitantibus hordeatum præscribunt. Hinc morale hoc dogma dicit Seneca, *epist.* 53: « Sapiens est artifex domandi mala; dolor, egestas, ignorantia, carcer, exsilium, et cetera horrenda, unde ad hunc pervenerit, mansueta sunt. » Denique per *εναλλάξ*, id est *naturas animalium* intellige naturales differentias singulorum, proprietates, qualitates, indoles, instiaetus, opportunitates ad hominum usum, aliqua et quæ: nam, ut ait S. Basilus, hom. 9 *Hexæm.*, « animalia singula diversis proprietatibus inter sese variisque non mediocriter distinguuntur: est enim bos quidem constans strenuusque, asinus autem piger; equus

hibidine incenditur, pestique impetuose famellam; lupus mitescor: nequit; vulpes insidiosa est, et ad dolos natura concinnandos sagax; cervus timidus, laboriosa formica, canis gratioseus, et iniba semel amicitie tenax ac memor: simili enim animalia singula cum sua peculiari natura creata sunt: una cum leone animositas, et ad iracundiam iræ propensio illi assignata est, vita solitaria, expert societatis ad ea que genus subeunt idonea. »

VIN VENTURUM. — Græce *πνεύματος* *εναλλάξ*, id est *spirituum violentus*, impetuosusque violentos, quod tam de ventis; quam de demonibus accipi potest: demon enim maior est vis et impetus, quam ventorum; ideoque nisi Deus eos infringeret, nullus hominum eorum tentationi et impulsui resistere posset; unde Salomon dicitur scripsisse exorcismos ad reprimendos et expellendos demones; multo magis cognovit Salomon ventorum vim et indolem. unde scilicet eorum sit ortus, motus et violentia, occasus, frigus, calor, humor, siccitas, salubritas vel morbida qualitas, que tanto studio rimantur physici, et probabiliter doctæ afferunt. Porro quanta sit ventorum vis liquet ex tempestatibus, quas in mari, et terram motibus, quos in orbe cient; unde Poeta:

Quæ data porta ruunt, et terras turbine perflant.

Hinc a precisi sapientibus Dei majestas occulta hoc hieroglyphico representabatur: exhibebatur in tabula vir poplilibus se excipiens, erectis in celum oculis, vel pronus in faciem, ad spirantium ventorum strepitum perhorrescens. cum hoc versiculo:

Κλίμακον πύλων τῶν ἀπὸ πνεύματων,

hoc est, *plantium ventorum sonum adora*, Iamblicus interpretatur, q. d. Dum cum minime videre possis, ac certe per res creatas sparsum, et in his tantum quodam horrore spirantem debes venerari. Porro D. Dionysius, *Cælestis Hierarch.* cap. xv, Deum venti nomine commode designari ostendit, propter naturalem vim movendi atque animandi, et celorum insuperabilem discessum, et nobiliorum principiorum atque finium incognitas atque invisibiles latebras: ita nosler Cassinus, lib. I *Parab. histor.* cap. xxiv: vide dicta *Amos.* cap. iv, vers. 13.

COGNATIONES HOMINUM. — Solus Deus certo cognoscit et pervidet secretas cordis cogitationes et volitiones; angelus ergo et homines sapientes eas tantum conjecantur ex signis physiognomicis similibusque conjecturis, juxta illud *Proverb.* xxvii, 19: « Quomodo in aquis resplendent virtus prospicientium, » et coria hominum manifesta sunt prudenlibus; » et illud *Ecclesi.* xix, 20: « Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei cognoscitur sensus: » vide utrobique dicta, et Aristotelem in *Physiolog.* Sic litigantibus de prole meretricibus Salomon solerter conjecit ex amore matero,

quænam esset vera proles mater, III Reg. iii, 16; et ex postulatione Adoniae petentis sibi dari uxorem Absag, que Davidem senem calefecerat, conjecit Adoniam affectare Davidis regnum, III Reg. cap. iii, vers. 22. Noster a Castro pro *cogitationes*, græce *διανοήματα*, accepit non singulorum hominum mentis cogitata, sed universim communes dialogismos, discursus, sive ratiocinationes hominum.

DIFFERENTIAS VIRGULTORUM (græce *εναλλάξ*, id est *plantarum*; S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. vii, legit *herbarum*; lib. vero *De Salom.* cap. i, legit *arborum*) ET VIRTUTES RADICUM. — Salomon enim « disputavit super lignis, a cedro que est in Libano, usque ad hyssopum que egreditur de pariete, et deseruit de jumentis, et volueribus, et reptilibus, et piscibus, » III Reg. iv, 33. Vide Pinedam, lib. III *De Rebus Salomo* cap. xxiii, ubi docet Salomonem medicinæ et magiæ naturalis fuisse peritissimum, id est exactissime rerum naturas, vires, proprietates, sympathias, antipathias colloisse, prætereaque divinare quæ efficere potuissent mirifica quedam, que rerum causas ignorantibus, aut præstigiosa, aut miraculis proxima viderentur, aut que ipsa magis naturalis propria ratio, et que nomine abscondito et improvisorum recte possumus interpretari: vide de his Eusebium, lib. IV *De Prepar.* i.

21. ET QUERUCQUE SUNT ABSCONSA ET IMPROVISA, DIDICI: OMNINUM ENIM ARTIFEX DOCTUS ME SAPIENTIA. — Videtur noster legitis *εναλλάξ*, id est *obscura, improvisa*; jam contrarie legitur *εναλλάξ*, id est *manifesta et perspicua*, ut verunt Cantacuzenus, Vatablus et Iansenius; aut potius *εναλλάξ* vocatur ea que subito vel inopinatio incidunt, et ex improviso apparent, ut provideri ac provideri nequiverint, ac proinde causas habent occultas, ut opponantur *absconsis*, que tam quoad substantiam, quam quoad causam latent et sunt abscondita. Talia *εναλλάξ* sunt fulgur illico apprens et disprens, parheli, hiatus, ceteraque aeris phenomenon; item terræ motus, maris exundationes, procelle, tempestates, turbines, etc. hæc perinet vis magnetis (licet id neget Guillelmus Gilbertus Angliæ medicus, lib. I *De Magnete*, cap. i, ejusque cognitionem sibi velut primo inventori vanè arroget), virtutes gemmarum, lapidum, herbarum, ambre, succinorum, etc., quas egonitas fuisse Salomonum non est dubium; ita Lyranus, Cantacuzenus et alii. Abulensis vero, in lib. III *Reg.* cap. iii, *Quæst.* ix, pro *improvvisa* accepit *sonnia*, ex quibus medicus et physicus conjicere potest qualis sit complexio et humorum temperies in corpore.

Ex dictis recte colligit noster a Castro Daum honorum largitorem affluentem et abundantius donare, quam postuletur, siquidem Salomoni sapientiam ad gubernandum postulanti, adject scientiam omnium rerum naturalium tam affluenter, ut solo primo parente fuerit hac in parte

inferior: nam in primis largitus est summam eloquentiam, scientiam de moribus, omnes artes, philosophiam naturalem, astrologiam, chronologiam, historiam naturalem, logicam, et denum alia quaecumque nosci possunt. Audi S. Ambrosium, lib. *De Salam.* cap. 1, sub initium: « Tam exemplis possessor sapientiae Salomon, cum omne cognovisset quae in aereis abditarum dispositionum tenebantur absconsa, haec sibi impossibilia esse praetendit, quippe qui a Deo esset sapientiam consecutus, qui noverat mundanae dispositionum introitum, qualiter esset hoc cœlum omne quod cernimus ardua sublimitate suspensum, » et caetera de elementis, quae superius recitavi, et subdit: « Quod principium rerum, qui finis et quae sunt media. Quem iterum divisiones et mutationes temporum non latebant, qui comprehenderat qualiter sibi annorum multa vicissitudo, redempte orbe, succederet; quae causa varios stellarum ageret cursus, precedendo se nonnunquam, aut subito subsequendo; unde earum esset ortus, aut obitus; et alia multa, quae sapientia docente cognoverat. »

OMNIBUS ENIM ARTIFEX DOCEAT ME SAPIENTIA. — Per rem ideam, ideam et industriam sapientiae divinae creata sunt omnia, aequae ac conservantur et gubernantur, juxta illud, *Proverb.* viii, 30: « Quando appendebat fundamenta terre, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum; et deliciae meae esse cum filiis hominum. » Porro sapientia haec, tam creata et Salomon infusa accipi potest, quam increata, quae est in Deo, sive ea sit essentialis, et tribus personis S. Trinitatis communis, sive notionalis et a Verbo, sive Filio propria, de qua intellexit S. Augustinus, lib. IV *De Trinitate*, cap. xx, et S. Ambrosius, lib. *De Incarnat. Domin. Sacram.* in fine, Gregorius Basilicus, lib. *De Fide contra Arianos*, Origenes, lib. I *Peregrinon*, cap. ii, et alii veteres, qui hinc probant Filium non esse creaturam, sed Creatorem, ideoque Deum; imo sic explicat Concilium Sardicense Epistola ad omnes episcopos, dicens: « Nullus nostrum negat Filium genitum ante omnia, opificem archangelorum, et mundi et humani generis; quoniam ait, *Sapient.* vii, 21: Omnium artifex sapientia docuit me, » juxta illud *Joan.* i: « Omnia per ipsum facta sunt. » Quia enim Filius a Patre generatur et procedit per intellectum, ut verbum mentis, hinc ei appropriatur ars, idea, scientia, sapientia, quodque ipse sit artifex et principium creaturarum, ut docet B. Thomas, i part. *Quaest.* XLV, art. 8. Igitur sapientia hic generalissime accipitur abstractivè, et communis est creatae et increatae: ideoque haec applicari possunt, tum increatae, sive essentiali, sive notionali; tum creatae, sive participatae; unde subinde Sapiens ab increata ad creatam transit, idque maxime facit initio cap. ix, ubi eam sibi a Deo communicari et in-

fundi efflagitat: haec enim nequit alia esse, quam donum creatum.

Hinc rursus sapientia hic amplissime sumitur pro quarvis cognitione rerum, tam celestium et divinarum, quam agendarum, ut virtute et prescripto prudentiae, atque efficiendarum per artem: inducitur enim hic sapientia, uti idea, ars et artifex omnium rerum naturalium, artificia-rium et moralium, quare non solum omniae scientiam, omnem ethicam, eed et artem quamlibet complectitur; unde vers. 24, ait: « Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam: » sic quoque sapientia sumitur, *Proverb.* vii, 22, et seqq., ubi dicitur per sapientiam creatos esse caelos, elementa, caeteraque omnia, ac per eandem regi. Denique haec sapientia, vers. 23, dicitur habere omnem virtutem, id est vim et potentiam, quod scilicet omnia possit, sitque omnipotens, item quod omnes spiritus capiat, et omnia prospiciat et attingat ubique, quae proprie competunt sapientiae increatae; participativè tamen tribuuntur creatae, haec enim potest dici omnipotens, quia hanc Deus creationi et creaturis omnibus applicat, indit et communicat: omnia enim in sapientia fecit, et nihil est in cuius sapientia creatione, ordine et dispositione non relictum mira Dei sapientia. Verumenimvero proprie atque genuine loquitur hic Salomon de sapientia increata et essentiali, quae commune est attributum divinitatis, sive Dei, ac proinde commune tribus personis S. Trinitatis; hinc enim proprie competunt dotes jam recensitas, de quo S. Augustinus, lib. VII *De Trinitate*, cap. ii, et i per hanc enim Deus et creavit mundum, et eum conservat, et providet ac prospicit omnibus rebus, dum divinis sedibus assidet. In hac est spiritus intelligens, hoc est, haec divina sapientia spiritum oculis demittit in sui amatores, qui mentem eorum excitat ad intelligendum, sanctitate dedicat, atque caetera donat ac praestat, quae hominum saluti et divinae gloriae conducuntur sunt. Haec autem omnia cum Deus homini tribuat, et non tantum Filius, aut Spiritus Sanctus, cumque aptus de divino sapientiae attributo exponantur, quae artifex omnium est et sedium divinarum assistrix, quae Filio et Spiritui Sancto non apta conveniunt; merito de ea haec explicanda sunt, ex qua omnia ornamenta et charismata sibi tribui postulabat Salomon, ac suo exemplo nos postulare docet: ita a Castro, imo S. Augustinus, lib. IV *De Genesi ad litt.* cap. xii, et lib. I *De Incarn. Verbi*, cap. xii. Pulchram et piam de arte-fice omnium sapientia contemplationem habet noster Alvarez de Paz, tom. III, lib. III, part. III, *decad.* III, *contempl.* 22.

22. EST ENIM IN ILLA SPIRITUS INTELLIGENTE SANCTUS, UNICUS, MULTIPLEX, SUTLILIS, DESERTUS, MORTALIS, INCONQUINATUS, CERTUS, SUAVIS, AMANS BONUM, ACUTUS. QUEM NIHIL VETAT, BENEFACTENS. —

Effundit se hic Sapiens in sapientiae laudes per 26 epitheta et elogia, ut cunctis hominibus ejus desiderium et studium excitet, utque ostendat merito eam esse omnium artificem, meritoque se ab ea potuisse omnia doceri. Multi haec intelligunt de Spiritu Sancto, qui est tertia in SS. Trinitate persona, voluntque hic Spiritus Sancti proprietates et attributa recenseri: hic enim est in Sapientia increata et ingenua, puta in Verbo et Filio, ut in sui origine, procedit enim et spiratur a Filio, ac sapientiam suis amicis affluenter largitor, I *Cor.* xii, 11; *Joan.* xiv, 26, et xvi, 13: nam veteres per sapientiam hic accipiunt Filium, ut dixi, et recte: ita S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. xix et xxii; S. Gregorius, hom. 3 in *Ezech.*, S. Augustinus, *epist.* 102; S. Bernardus, *serm.* 3 *De Pentecoste*, qui hinc probant Spiritus Sancti divinitatem, dotesque divinas. S. Bonaventura, Cantacruanus, Lyranus, Hugo, Holcot, Dionysius et alii multi, imo Cantacruanus asserit auctorem clarius nullo, quam caeteros omnes prophetas, qui ipsum vel precesserunt, vel consecuti sunt, de Spiritu Sancto verba fecisse: Lyranus etiam et Holcot addunt exponi modum, quo directus sit auctor in supernaturali contemplatione, nempe per Spiritum Sanctum a sapientia communicatum. Spiritus Sanctus enim indit suis spiritum, id est impulsorem, ad amandum verum et summum bonum, quod est ipse Deus, idque per multiplicia officia et varias virtutes, quae sequentibus epithetis designantur.

Denique primo, Nazianzenus, *orat.* 44, similia, imo eadem epitheta dat Spiritui Sancto: « Erat igitur, inquit, semper perceptibilis, non particeps; perficiens, non ab alio perfectus; explens, non expletus; sanctificans, non sanctificatus; deificans, non deificatus; ipse semper et secum et cum his, quibus adjunctus est, idem et aequalis: invisibilis, temporis expertus, nullo loco inclusus, immutabilis qualitate, quantitate, forma et tactu carens, seipsum movens, ac sempiternum motum habens, arbitrari sui per se potens, omnipotens (tametsi ad primam causam, ut omnia ea quae Unigeniti sunt, ita etiam, quae Spiritus Sancti sunt, referantur), vita et vivificus, lux et lucis largitor, bonitas ipsa et fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis dominus, mittens, segregans, templum sibi extruens, viam praemonstrans, arbitrata suo operans, gratiasque dividens, spiritus adoptionis, veritatis, sapientiae, prudentiae, scientiae, pietatis, consilii, fortitudinis, timoris. » Secundo, si sapientiam creatam hic accipias (uti posse accipi paulo ante dixi), pariter haec epitheta competunt spiritui ejus creato: in sapientia enim creata est spiritus intelligentiae, id est intelligentia creata, hoc est aspirata vel inspirata a Deo: hoc enim significat π spiritus, cum dicitur spiritus intelligentiae, spiritus sapientiae, spiritus consilii, spiritus pietatis, spiritus timoris Domini: nimirum haec dona et virtutes a Deo aspiratas

esse Christo et sanctis, quae eos instar spiritus et venti impellant ad finem, consilium, intelligentiam, et per haec ad ipsum Deum (ad Deum enim impellit sapientia, omnisque sapientiae vis et spiritus), ut patet *Isai.* xi, et *Ezod.* xxviii, 3, et xxxi, 3: vide ibi dicta. Tertio plano, proprie et genuine, sicut sapientia hic increata essentialis intelligitur propria Deo, et communis tribus personis SS. Trinitatis, sic et spiritus, ipsa enim est spiritus: id est spiritualis dos et attributum Dei, homineumque ut spiritus impellit ad sui, id est ad Dei, cognitionem et amorem, ita S. Augustinus, lib. IV *De Genesi ad litt.* cap. xii, et lib. *De Natura boni*, cap. xxviii, et lib. I *De Incarn. Verbi*, cap. xiii.

EST ENIM IN ILLA SPIRITUS INTELLIGENTE. — Primo, graeco est π π π , id est spiritus intelligentiae; unde a S. Dionysio Areopagita et a S. Gregorio Nazianzeno angeli vocantur π π , id est intellectuales naturae, quae videlicet sunt intelligentiae abstractae, hoc est a materia sejunctae, et incorporeae, pureque mentes et spiritus intelligentes; et sic nonnulli censent sapientiam, quae est attributum Dei, aeque ac Spiritum Sanctum, hic vocari *spiritum intelligentem*, eo quod sit immaterialis, incorporeus, spiritalis et intelligens. Secundo, melius S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 3 *De Theolog.*, *spiritum intellectum*, ut ipse vocat, interpretatur, *spiritum sapientissimum*; unde Vatablus veritè, *est enim in illa spiritus sagax*; S. Ambrosius in *Symbol.* cap. vii, *spiritus Domini intelligentis*; S. Gregorius, hom. 3 in *Ezech.*, *spiritus intellectus*. Tertio et plenissime, sapientia Dei vocatur *spiritus intelligentiae*, vel *intelligens*, tum quia intelligit cuncta, ac magna vi intelligendi et penetrandi omnia usque ad fundum praedita est; tum quia angelis et hominibus tribuit vim intelligendi, juxta illud, *Job xxxii*, 8: « Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam; » ita S. Augustinus locis jam citatis: nam, ut ait Plinius, lib. II, cap. vii: « Deus totus est oculus, totus visus, totus auditus. » Igitur per *spiritum intelligentiae*, quem sapientia Dei increata intelligentissima, imo ipsa intelligentia in abstracto nobis aspirat, accipias impulsorem et amorem intelligendi et cognoscendi ea quae salutis sunt, quae scilicet Deo placita sunt, et spirituali profectui necessaria vel utilia: nam *dirigere*, et *solicitem esse ut intelligas quae Dei et virtutis sunt*, initium est salutis; quo qui caret, incapax est gratiae et gloriae: hoc est quod Salomonem secutus Sirauides ait *Eccli.* iv, 12: « Sapientia filiiis suis vitam inspirat, » sive insufflat: simile est illud Virgilio, VI *Aeneid.*:

Magnam cui mentem animaque
Delius inspirat vates.

Symbolice S. Bonaventura: « Spiritus intelligentiae, inquit, est in sapientia, » id est in Christo, secundum humanitatem in eo habitando, secundum divinitatem ab illo emanando. Tropologiae

hæc omnia sapientia attributa charitati et perfectioni virtutum (quæ summa est sapientia) accomodat noster Alvarez de Paz, lib. IV De Dignit. perfect. part. I, cap. 1 et iv.

SPIRITUS INTELLIGENTIE SANCTUS. — Hinc multi, ut dixi, hæc accipiunt de Spiritu Sancto, qui in se per essentiam et originem, sive vim processionis (procedit enim ut amor Patris et Filii, qui est purissimus et sanctissimus) sanctus est, et sanctificat angelos atque ac homines; verum cum entera omnia proprie accipiuntur de ipsa sapientia, quæ propria est Deo, et communis tribus personis SS. Trinitatis, hoc quoque sancti epitheton Deo divineque sapientia attribuentum est, q. d. Sapientia divina, ipseque Deus, est spiritus summe intelligens et perspicax, sed ita ut simul sit sanctus: vana enim est sapientia et intelligentia, quæ sanctitate destituitur, finis enim intelligentie est sanctitas, ut bonum voluntate complectaris, operumque exsequaris. Porro a sanctis, inquit S. Dionysius, De divinis nominibus, cap. xii, est ab omni sodere libera, et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas; sanctitas ergo est amor Dei: Deus enim est summa puritas, ipsa enim est lex æterna rerum agendarum, quæ est obiectum et regula sanctitatis, idque non per qualiteram aliquam advententem, sed per ipsam suam essentiam et substantiam; unde seraphini ei jussu exclamant, Isai. vi: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus; » et Psaltes, Psalm. cxviii: « Justus Dominus, inquit, in omnibus vis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. » Hinc sequitur ut, si creatura fieri velit sancta, debeat per amorem jungi Deo, ac quo magis illi jungatur, eo magis sanctificari, sive enim magis recedit et separatur a rebus et affectibus terrenis, quæ eam inquinant, juxta illud Levit. xi, 44: « Sancti estote, quia ego sanctus sum. » Qui ergo sanctitatem optat, a creaturis se sequestret, et in sanctum animum, ubi Deus quasi in templo suo habitat, se recipiat, ut libi procul a rerum externarum strepitu, in silentio cum Deo suo versetur, ipsum amet, colat et adoret.

Simili modo sapientia et doctrina creata, si vera sit et divine imitatrix, omnem suam speculationem et intelligentiam ad sanctitatem suam, æque ac alienam, velut ad scopum et finem referat oportet, quare ipsa doctos facit sanctos: quocirca Deus hunc suum sapientiam spiritum intelligentem et sanctum communicavit SS. Patribus et Ecclesie doctoribus, uti S. Athanasio, S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Hieronymo, S. Ambrosio, S. Gregorio, S. Bernardo, ac deinde S. Thomæ Aquinatis, qui tam sanctus fuit, quam doctus et intelligens, indeque dicitur est doctor excellentius; et S. Bonaventura, qui charitatis ardorem sapientie conjunxit, ac lectorem tam amore Dei accendit, quam cognitione rerum

divinarum illuminat, indeque dicitur est Doctor seraphicus. Hi duo sui ævi fuerunt quasi oculi, imo soles. Vere Pius Mirandulus in Apol. post initium: Est, inquit, in Joanne Scotio ingenium vestigatum atque discussum, in S. Thoma solidum æquale, ideoque moderatum, compositum, ad omnemque honestatem, virtutem et sanctitatem comparatum.

Utriusque, — *γεννητικος*, id est unigenitus, ut veritas S. Hieronymus in Ezech. cap. xvi, quod proprie Verbo sive Filio, qui est Sapientia a Deo Patre genita, competit; vel unigenus, sive unius generis, qualis est sapientia divina communis toti SS. Trinitati, q. d. Sapientia increata Dei est unius generis, tum quia in se unica est et simplicissima, utpote eadem cum divinitate, ita Lyranus; tum quia in suis actibus et operationibus unum eundemque tenorem, normam et regulam communem servat, nimirum legem eternam. alque unum eundemque finem spectat, scilicet Dei honorem et gloriam. Eadem tamen est multiplex ob immensitatem perfectionis, quæ in se licet una et simplex, virtute tamen continet omnes omnium creaturarum, etiam possibilium perfectiones, quæ numero sunt infinita, ideoque ad nullas imo innumeras species, actus et opera se extendit, et quasi partitur ipsam genus sapientie: omnes enim species et effectus sapientie in uno genere et ratione communi sapientie conveniunt, atque in universali dietamine ac legibus communibus sapientie coeunt, juxta illud, I Cor. xii, 4: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministratorum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus: » vide ibi dicta. Si daretur una genina purissima atque pulcherrima, quæ simul esset adamas, et carbunculus, et smaragdus, et sappirus, et topazius, et cætera quæ in opibus computantur, quam pretiosa esset et admiranda! O ligni substantia simplicissima, quæ omnia es, quæ nobis diligenda, et super omnia estimanda existis! Tu es sapientia, tu bonitas, tu justitia, tu omnis alia vera perfectio.

Idem imitatur sapientia creata, infusa et participata: nam, ut ait noster a Castro, sicut divina sapientia una cum sit, tam diversas virtutes et opera ad unum Dei gloriam omnia in mundo operatur ac refert, ita hic spiritus ex illa profectus, omnia hominis munia et omnia officia unius generis efficit, dum unum omnium finem præstituit, ad hoc ea omnia dirigens, ut voluntati divine subserviant, eamque tanquam regulam sequantur, et uno amoris vinculo omnia colligantur, et tanquam pretioso auro exornentur, atque ex hac parte habet spiritus sapientie, ut sit pacificus nam ita S. Jacobus, Epist. cap. iii, 17, vocavit sapientiam, quæ desersum est, *pacifiam*; et S. Paulus, Ephes. iv, 3, scribit: « Sollicitudine unitatem spiritus in vinculo pacis. Unam

Sapientia, creata, infusa, participata, unius generis, virtutis multiplex.

Multiplex, sive, quæ sit?

corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestre. Unus Dominus, una fides, unum baptismum. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. » Sic quoque S. Bonaventura, Glossa, Lyranus et Hugo.

Tropologie Richardus de S. Victore in Cant. cap. xxxii: Spiritus Dei, inquit, unicus est et multiplex, quia cum unus sit, diversis tamen modis mentes visitat et afficit; nunc animam timoribus et desideris preparat, nunc iam paratam suis donis promovere non cessat. Non semper uno affectu, sed diversis animam tangit, prout secundum statum et dispositionem suam necesse est; unde nunc ad solentem compunctionem, nunc ad amorem, nunc ad gratiarum actionem, nunc ad desideria et exercitationem alicujus virtutis accendit; modo cor tangit, modo semelipsum abscondit, et iterum ut opus perficiat advenit. Si non aperiamus, ad janam expectat, et aliquando quidem efficacius pulsat, aliquando vero eum culpam nostram justo judicio cessat.

MULTIPLEX. — *Γνωκε, γνωστικος*, id est multiformis, multarum partium, multis constans partibus, ut mundum vocat Aristoteles. Gregorius Nazianzenus, orat. 3 De Theol., hunc locum referens de Spiritu Sancto, multiplex explicat, *agendi facultate varius ac multiplex*, vel quod, unus cum sit, per singulas mundi partes se quasi per ramos diffundat et multiplicet, ac varios sapientie modos in eis efficiendis ac conservandis operetur; vel potius propter varias gratias diversaque dona, et multiplica officia, quæ unus cum sit, exercet, sive in Ecclesia universa, sive in hominibus singulis. Hæc de causa Spiritus Sanctus, descendens in apostolos in Pentecoste, apparuit supra eos in specie linguarum dispersitarum, sive flammæ dissectæ, ut multiplicatam donorum, quam eis indebat, representaret. « Multiplex (ait S. Ambrosius in Symbolo, cap. vii) appellatur, eo quod multa in se habeat, et per ea omnia unus est, nec in aliquid eorum quæ operatur ipsa mutatur, sicut imago ex anulo, quæ in ceram transit, et anulum non relinquit. » Audi et S. Augustinum, epist. 102 ad Ecdesiam: « Legitur quidem, Sapient. vii, 22, et spiritus sapientie multiplex, sed recte dicitur etiam simplex: multiplex enim quodam multa sunt, quæ habet; simplex autem, quia non aliud quam quod habet, est. Sicut dicitur est Filius habere vitam in semetipso, et eadem vita ipse est; homo autem Verbo accessit, non Verbum in hominem convertibiliter accessit; atque ita et Filius Dei simul cum homine suscepto dicitur: unde idem Filius Dei incommutabilis est atque coæternus Patri, sed in Verbo solo: et sepultus est Filius Dei, sed in carne sola. » q. d. Christus, quæ Deus, unus est et immutabilis; quæ homo, multiplex, bilis et passibilis.

di et S. Bernardum, serm. 3 De Pentec.

hec adaptantem Spiritu Sancto: « Vere multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore glæ; siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem: ad usum quidem vitæ, bonis et malis, dignis pariter et indignis communia bona abundantissime tribuens, ita ut videatur hic discretiois limitem non tenere: ingratus, qui in his quoque beneficium Spiritus non agnoscit. Ad miraculum, in signis et prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur: ipse est antiqua miracula suscitans, ut ex presentibus fidem adstruat præteritorum. Sed quia nonnullis hæc quoque gratiam sine propria utilitate largitur, tertio infunditur ad salutem cum in toto corde nostro revertitur ad Dominum Deum nostrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adiuvat infirmitatem nostram: nam cum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus peccatorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus gloriantur, contumeliam gloriam repudiantes, operum gaudium, despectionem exultationem. » Denique D. Petrus Damiani, lib. de Dominis vobiscum, cap. vi: « Unus est Spiritus, inquit, in majestatis essentia, multiplex per diversa charitativa dona quæ ad Ecclesie sanctæ, quam replet, ut et universitate sit una, et in suis partibus sit tota; » unde colligit, licet Ecclesia personarum sit multiplicitate (adde quoque, rituum nonnullorum) diversa, in unum tamen esse Sancti Spiritus igne conflata, atque ideo etsi per corporalem situm partibus videatur dividi, unitatis tamen intime sacramentum nullatenus a sua valere integritate corrumpi.

SUBTILIS, — *γεννητικος*, id est tenuis, gracilis, macilentus, rarus et extenuatus, quia omnia pervadit et penetrat (unde S. Ambrosius, lib. III De Spiritu Sancto, cap. vii, legit *penetrabilis*) etiam profunda Dei, I Corinthus. ii, 10: hoc est quod ait Apostolus, Hebr. iv, 12: « Vivax est sermo Dei, et efficac, et penetrabilior omni gladio accipit: et peritentes usque ad divisionem anime ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. » Apposite post sanctus subjungit *subtilis*, quia sicut aer purus, æque ac cibus levis et subtilis generat ingenium subtile, ut docent medicis, sic pariter sanctitas, id est secretio a rebus terrenis, facit hominem subtilem, spiritalem et divinum: nam, ut vulgo dicitur: « Pinguis venter non gignit sensum tenentem. » Tritum est illud Horatii, lib. II Sermon. satyra 2:

Corpus onustum
Hæsternis vitis, animum quoque prægravat ipsum,
Atque affligit humo divine particula aure.

Sic Gallius, lib. IV *Ex Medic.* cap. XIX, docet pueros, cibo somnoque largiore utentes, fieri crassos et obtusos.

Hunc subtilitatis spiritum in speculativis, sapientia pro alii communicavit Joanni Scoto Ordinis S. Francisci, qui illum ut suum in theologia et philosophia magistrum colit et sequitur; unde vulgo vocatur *Doctor subtilis*; a Scalligero, *Exercit.* 324, vocatur *lima veritatis*; ab aliis, *cos ingeniorum*, philosophorum *plurimorum*, et inter philosophos quidam deus; ab aliis *subtilitatis miraculum*, *arcanorum Apollo*, *seraphicae religionis columna*, *Sorbanae gloria*. Dubitat Cardanus, lib. XVI *De Subtilit.*, quis subtilior, an Aristoteles, an Euclides, an Socrates? Porro haec subtilitas parum ei naturalis fuit a subtilitate ingenii, qua excellit; parum supernaturalis, opusque gratiae et Spiritus Sancti, cuius ipse, utpote religiosus, fuit instrumentum et organum; unde Joannes Major, in IV, *distinct.* 33, *Quest.* X, eum vocat *humillimum, apostolicum, pauperissimum, ino summo pontificatu dignum*, et D. Bernardus, *De Soria*, in *repor.* impressa Parisiis, anno 1517, ita de eo canit:

Scelus adest fidei lapsus, Christoque Sibylla,
Interpresque Dei, castrum insuperabile veri;
Sicula Jovis, manliquo oculis, coeuviva Tonantis,
Ingenii claro penetravit aequino cupeta.

Porro subtilitas haec rebus intenta verborum elegantiam respicit, unde Pictus Mirandolus, *epist. ad Heronolum*, Scotum cum Lucretio comparans: « Est, inquit, huius (Scoto) os inspidum, illi (Lucretio), mens desipiens; hic, infantissimus dicendo, sentit ea qua laudari dicendo satis non possunt; ille fando eloquentissimus loquitur nefanda. » Cum argueretur a quodam de studio contradicendi, quod ubique sese opponeret h. Thomae doctori sancto, subtiliter respondit: Si doctor est, disputet mecum; si sanctus est, oret pro me: ego enim studio veritatis, non contradictionis, cum illo disputo: sicut enim ex collisione lapidum exsilit ignis, sic ex confractione ingeniorum per disputationes subiles elicitor et emicat veritas. Cos ergo subtilis ingenii est contradicentis argumentatio.

Sancior est subtilitas in practicis, quae mille modos et preces virtutum, quibus in dies magis placet Deo, magnosque meritum cumulcos coacervet, subtiliter excoquit et adinvicem: qualem videre est in vitis sanctorum; ut qui eas legit, facile eandem addiscat et usurpet. Haec maxime sita est in subtili intentione cuiusque operis, ut scilicet quodque opus optimo fine, puta propter amorem et honorem Dei, fiat: cui si addas alias aliarum virtutum intentiones et fines, v. g. si comedas, studeas, labores, ambules, ores, ut in honore et amem Deum, insuper ut abstinentiam, patientiam et penitentiam exerceas, ut proximo prodesse valeas, simileque ob fines, subtiliter et facillime virtutes earumque merita mire adaugebis. Summa subtilitas

suaelentis est, multa magnaque agere et pati pro amore Dei.

Hic multi interserunt aliud epitheton Spiritus sapientiae, scilicet *modestus*: ita S. Bonaventura, Itugo, Glossa et Holcot; verum hoc non habent Graeca, nec Romana, nec caetera Latina correctiora.

DISERTUS, — graeco, *ῥαῖος*, id est, *primo, celeris, planus, perspicuus et disertus*; Vatablus, *illustris*: ratio a priori est, quod qui bene res intelligit et comprehendit, facile et copiose eas eloqui potest, itaque est disertus: sapientia enim parit eloquentiam; unde sapientia « lingua infantium facit *ῥαῖος*, » id est *disertas*, ut dicitur *cap. x*, vers. 21, juxta illud, *Psalm.* XLIV, 3: « Diffusa est gratia in labiis tuis; » et illud *Psalm.* VIII: « Ex ore infantium et lactentium proficiscit laudem, » ut facit in ore S. Agnetis, S. Friscoe, S. Viti, S. Celsi, aliorumque puerorum et puellarum, qui tyrannum pro castitate et fide resisterunt usque ad mortem et martyrium; itaque sapienter et diserte eis responderunt, ut fecerint eos obmutescere. Hoc est quod suis promisit Christus dicens, *Matth.* x, 10: « Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Sic Nazianzenus, *orat.* 2, huc alludens Spiritum Sanctum vocat *ῥαῖος*, id est *perspicuum et disertum*, imo *ῥαῖος ἁπλοῦς ἁπλοῦς*, id est *illustratum omnia*: quia quidquid in nobis est luminis, id habemus ex illustratione Spiritus Sancti; et quia omnia nobis explicat et illustrat, ut eadem alios clare docere et efficaciter persuadere valeamus, juxta illud quod Isaias, *cap. XXXV*, vers. 6, praedixit, quod « aperta erit lingua mutorum, » ut apostolorum, qui, *Actor.* II, 4, Spiritu Sancto edocti, « coeperunt loqui variis linguis magna laude Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis; » et *ibid.* VI, 10, Iudaei disputantes cum Stephano non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur. *Secundo*, *ῥαῖος* verti potest, *integer, solidus, adultus*, versus: ita Complutenses, et Cantuacenensis, qui idipsum se exponit, *q. d.* Spiritus Sanctus est indissolubiliter magnus, integer, perfectus, atque omnis magnitudinis, amplitudinis, integritatis et perfectionis effector, omnem rerum earundem coagmentationem continendi vim habens, et magnarum rerum efficacissimum causans. Igitur Spiritus Sanctus est integer, solidus, adultus, id est vividus, vegetus, vigorosus et efficax in operando.

MOBILIS, — graeco, *κίνητος* (quae vox in Graeco praepouitur τὸ ῥαῖος, id est *disertas*), id est *bene mobilis*, ut vertit S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. XIX (licet nonnulli codices S. Ambrosii habeant, *bonus mobilis*, sed perperam); Vatablus vertit, *vegetus*. Jam *primo*, noster Loricus, ut proximo prodesse valeas, simileque ob fines, subtiliter et facillime virtutes earumque merita mire adaugebis. Summa subtilitas est precibus fieri et persuaderi potest.

Secundo, alii ῥ. *mobilis* referunt ad ῥ. *disertas*, quod praecessit, *q. d.* Sapientia et Spiritus Sanctus faciunt sui compositos disertos, ut linguam habeant mobilem et volubilem ad diserte loquendum et disserendum; at non ita ut proferendo verba praecipitent, sicut fecerunt nonnulli concionatores populares, ut sui admirationem concitent, in quos acriter invehitur Seneca, *epist.* 40: « Haec popularis (oratio), inquit, nihil habet veri; movere vult turbam, et incensulas aures impetu rapere: tractandum se non praebet; auferitur. Quomodo autem regere potest, quae regi non potest? Quid? quod haec oratio, quae sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? remedia non possunt, nisi immoventur. Multum praeterea habet inanitatis et vani; plus sonat, quam valet. Lenienda sunt quae me exterrunt, compependa quae me irritant, disertienda quae fallunt; inhibenda luxuria, corripienda avaritia. Quid horum raptim potest fieri? quis medicus in transitu curat agros? Quid? quod ne voluptatem quidem ullam habet talis verborum sine delectu rudentium strepitus? Sed ut plerumque, quae fieri posse non crederes, cognovisse satis est; ita istos, qui verba exerceverunt, abunde est semel audisse.»

Tertio et *genitive, q. d.* Sapientia et Spiritus Sanctus est *mobilis*, id est agilis, motivus et efficax, tum in se, quia scilicet in omnes partes facile occurrit ac presto adest, ut rite gerantur: sapientia enim cito suggerit sana consilia, praesertim ubi periculum, vel opus difficile inest, juxta illud Boetii de Deo, lib. III *De Consol.* metro 9:

Stabilisque manens dat cuncta moveri;

tum quia sui composites facit agiles, alacres et expeditos ad omne bonum, juxta illud *Ezech.* I, 20: « Quomodo ibat spiritus, illic eunte spiritu, et rote pariter elevabantur, sequentes eum: spiritus enim vite erat in rotis; » et illud Pauli, *Rom.* VIII, 44: « Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. » Hinc Spiritus Sanctus descendit in apostolos specie spiritus, id est verti vehementis, ut significaret se eos impellere ad opera heroica, et ad vehementiam efficaciamque concionandi, cui nemo resistere posset. « Nescit tarda mollina Spiritus Sancti gratia, » ait S. Ambrosius, in illud, *Luce.* cap. I: « Abiit (Maria) in montana cum festinatione. »

Denique S. Gregorius, hom. 5 in *Ezech.*, *stabilem eum mobilis conciliat*: « Omnipotentis ergo Spiritus, inquit, ut ubique praesentia signaretur, simul et mobilis et stabilis dicitur; quia ubique, etiam nescientibus, occurrit. Tenens ergo omnia stabilis; praesentem se omnibus exhibens, mobilis appellatur. » Rursum stabilis est in promissis, ut sit impossibile mentiri eum, mobilis in his praesentibus; stabilis, nos contra mala stabiliendo, mobilis, bona communicando; stabilis

in contemplatione, mobilis in actione; mobilis in via, stabilis in patria.

INCONQUINATUS. — *ἁγάρων*, id est *vacantissimus, immaculatus, impollutus*, ut legit S. Ambrosius, carens omni labe et macula, omnibus sordibus et tenebris: Deus enim est mera ac pura lux, et tenebrae in eo non sunt ullae, I *Joan.* I, 5: nam, ut ait S. Ambrosius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XIX, et in *Symbol.* cap. VII, « sicut lumen tenebras non recipit, sic et Spiritus Sanctus per naturam habet, ut omnium sordium incapax; » sit sed et omnium sordium, ut ait Cantuacenensis, « expandarum vim habet, nihilque vel esse, vel permanere inquinatum patitur, ac sine ulla indentia cunctis rebus illacescit, cunctasque maculas delet. » Hinc symbolum sapientiae et sapientis est apus, quae purissima est, puros amat, impuros fugit, adeoque feminas veneri operam dantes invadit et illicet configit, uti dixi *Proo.* VI, 6. Praeclare S. Gregorius Nazianzenus in *Carmin.* 2: « Pro viribus laus, inquit, teipsum lustrato, vita splendida renovato: sic enim Deum mentis intelligentia comprehensionem percipies. Nec frustra vulgo dicitur, Deum ad templum suum accurrere: quippe purus cum sit, non nisi purus homo potest ipsius habitaculum esse. » Hinc illud *Cent.* IV, 14: « Favus distillans labia tua, » quia, ut explicat Richardus Victorius, « labia devote animae spiritualis dulcedinis liquore fluunt, ut rite ad edificationem hunc fundunt. Hunc favum congerunt de diversis Scripturae floribus: hos perquirat, his insidiet, de his suavitate spiritualis dulcedinis extrahit, scientiam infantem segregat et contemnit, edificationem potius perquirat, suavolentibus sententias, non pomposam eloquentiam eligit. » Et Petrus Cellensis, lib. I, *epist.* 12: « Discentes, ait, per amonissimos Scripturae campos, lego quasi apus, et recorde in alveolo memoriae suavissimi odoris flores, castitatis limam, olivam charitatis, patientiae rosam, uvae spiritualium charismatum: » vide quae de ape dixi *Proo.* cap. VI, vers. 6.

CERTUS. — Graeco, *εὐρεῖς*, id est *manifestus*, ait S. Ambrosius, perspicuus, indubitatus; Vatablus, *evidens*; Noster, *certus*, ut nec ipse erret, nec in errore inducat sese habentem: differt ergo a *ῥαῖος*, quod *εὐρεῖς* sit *certus* de veritate, ut in sentiendo non erret; *ῥαῖος* vero est *conspicuus* et disertus in eloquendo, ut alios edocet. Hinc Philoponus, lib. I *Poster.* sub-fine, a *εὐρεῖς*, conset diei *εὐρεῖς*, id est *sapientiam*, quasi *εὐρεῖς*, quae res divine circa quae versatur, per se ac naturae sua sunt certissima et manifesta. Hinc S. Ludovicus rex Franciae, moriturus inter alia documenta, quae Philippo filio reliquit, haec interceperit: « Si quid possideas rei alienae, etiamsi id accepis a majoribus tuis, incontinenter restituas iusto possessori; ubi certo id tibi constiterit, sin autem dubia res est, cura ut viri sapientes accu-

rate, et sine mora inquirant : » ita Gaguinus, lib. VII *De Gestis Francorum*.

Et S. Thomas Aquinas in *epistolâ*, qua cuidam potentiori prescribit modum acquirendi scientiam et sapientiam : « Tardiloquum, inquit, in ore jubeo : conscientia puritatem amplectere : orationi vacare ne desinas : omnibus amabilem te exhibe : nihili penitus quere de factis aliorum, etc. : ea quae agis et audis, fac ut intelligas, de dubiis te certifies : » intellige quoad fieri potest, nam multa in hac vita sunt obscura et probabilia dubitant, in quibus certitudo et evidentiâ haberi nequit : quare saepe in agibilibus probabilem duntaxat opinionem sequi debemus : sed hec in praxi certa est. Cum enim nequimus habere evidentiam, certum est in praxi licere sequi sententiam probabilem duntaxat. Addit Cervantius : Sepia, inquit, dicebatur Aristoteles, philosophorum princeps et coryphaeus, qui velut affuso armento celabat aliquando veritatem, de quo *Sop.* t. 11, est illud, « sermo obscurus » et hic Spiritus Sanctus, et qui eo edocti sunt, uti doctrinam certam absque errorum aut dubitationum nebulis, veram, absque falsitatis tenebris, sinceram, absque hypocrisis dolis, claram, absque caligine ignorantis, hauriant; ita ex participatione hujus spiritus doceant, certi, veri, sinceri et preclari sunt, hinc a Christo Spiritus Sanctus vocatur *Spiritus veritatis*, Joan. XIV, 17. Alij qui certus exponunt firmus, fidelis, constantis in promissis, propositis, dictis et factis.

SUAVIS. — Graeco, *εὐχάριστος*, id est *illens*; S. Ambrosius, *incolabilis*; alij, *incolans* et *incolans reddens*; alij, *prosper*; Valabius, *innocens*, qui nocere nequit, et cui noceri non potest; sic et Cantacuzenus : quod Noster profunde veritatis, *suavis*, q. d. Adeo bonus et benignus est Spiritus sapientiae, ipsèque Spiritus Sanctus, ut non tantum nominari nōceat, sed et omnibus professe student : adeo enim suavis est, ut omnes inco-lumnes servans, favore, solari, erigere et promovere saugiat; unde vocatur *Paracletus*, id est consolator, talesque efficiat sanctos, praesertim qui animarum luero student. Sic ab ethnicis suis Jupiter dicebatur *Apeinis* (quae vox alludit ad *ἀπεινός*), qui tristes noxas pellit a foribus, seu qui damna et calamitates averit : de quo Pansa-nius in *Altit.* dicens : « In Hymeto Flavii Jovis ara, in Partione Jupiter ex aere; est etiam ara Bidden alta, ad quam Jovi, quem modo Pluvium, modo Apeinon, id est *incolans*, appellant, rem divinam faciunt, » etc. Atque hujus suavitalis specie, colore et imitatione indati visuntur hoc Spiritu praediti : est enim, ait hoc loco Holco : « Facies domini, famulus; magistri speculum, discipulus; regni moderator, rex : » ita et suaves de familia sunt Spiritus Sancti, qui et ipse suavisior est, ac suorum ingenia, mores, sermones suavitate condit eximia, ut nonnisi mel et hectar vultu et ore spirare ac fundere videantur,

juxta illud Pauli, II *Corinth.* VI, 6 : « Exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros, in multa patientia, etc., in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta. » Et, *Galat.* VI, 4 : « Si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Hinc Spiritus Sanctus dicitur *osculum* et *suavium Dei*; et ut, S. Bernardus ait, serm. 1 *De Spiritu Sancto*, « dulcissimum quod est in vobis; » juxta illud *Cant.* 1 : « Osculetur me osculo oris sui. » Hinc et Sapientia de se dicit : « Spiritus meus super mel dulcis, » *Ecclesi.* XXIV, 27; et *Sapient.* XII, 1 : « O quam bonus et suavis es, Domine, Spiritus tuus in omnibus! » Nimirum :

Omnis tulit panem qui miscuit ululo doli.

Hinc Deus apparuit Eliae in spiritu leni, III *Reg.* XIX, 11 : « Non, inquit, in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus, » sed in sibilo aerae tenuis.

AMANS BONUM. — Graeco, *εὐχάριστος*; Vatablus, *boni studiosus*, ut scilicet hominem in virtute omnique bono promoveat : « charitas enim (quae est comes sapientiae et Spiritus Sancti) non gaudet super iniquitate, congruet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, » I *Cor.* XIII, 13. Porro *εὐχάριστος*, inquit Cervantius, *primo*, est studiosus boni; *secundo*, amicitiae federe sociatus cum bono; *tertio*, placitus, gratus, familiaris, clarus; *quarto*, osculans et suavis; *quinto*, philtro amoris ad se rapiens.

ACUTUS. — ἄξ, quod nonnulli acceptione pro *velox*, id est *velox*, quod saeculus Cantacuzenus explicat, q. d. Sapientia et Spiritus Sanctus absque praesto est, velociter invocantibus se sistit; imo eorum orationem prevenit et praeverit, uti dixit cap. VI, 14. Perperam Glossa, Iluzo et Bonaventura pro *acutus* legunt, *actum*, neclitque praecedenti epitheto, hoc modo : « Amans bonum actum, » vel *actus*, ut alij legunt, in genitivo.

Dicitur Spiritus sapientiae *acutus*, non hebes vel obtusus, *primo*, quod instar acus habeat acumen intelligendi et penetrandi omnia, etiam occulta, arcana et obscura, sitque perspicacissimus. *Secundo*, quod intellectus aptem excusat, faciatque de qualibet re acuto disserrere, atque in dicendo et disserendo aequae ac in agendo sit argutus, solers, callidus et vaser : addit Cantacuzenus, quod in rebus minimis, quae ob exiguitatem dividi nequeunt, totus pericite ac penitus adsit. *Tertio*, quod instar gladii acuti resecat malum a bono, vitium a virtute, fucum a veritate, imperfectum a perfecto, amorem proprium ab amore divino, ut mentis intentionem acuat et reedificet. *Quarto*, quod voluntatis acumen excusat ad bonum, quod melius est et perfectum, totis viribus ambiendum. *Quinto*, quod sui sapora

Spiritus
Sanctus
gentium
dux

Spiritus
sapientiae
acutus

gustoque acuto infimos animae sensus penetret pungat et feriat : sicut acetum acore suo saporem ciborum exacuit ac palatum pungit feritque; itaque orexiti et appetitum excitat, et quasi stomachum acuit, juxta illud Plinii, *epistol.* 123 : « Ut enim, si conam tibi facerem, dulcibus cibus acres acetosque miserem, ut obtutus ille et oblitus stomachus his excitaretur : » tale acetum menti ingerit sapientia, cum illam de erroribus et defectibus suis, vel interius per inspirationem, vel exterius per aorem mordacemque superioris reprehensionem castigat. Talis fuit S. Joannes Baptista, et Christus Dominus; unde de eo cecinit Isaias, cap. XLIX, vers. 2 : « Posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam : in therastra sua abscondit me. » Saeco, *acutus*, id est acer, hiliotus, acerbis, iracundus, indignans : sic enim ira vocatur acuta, iram autem sancti habundant, cum zelantur pro Dei honore, ut ejus odensis advertant : ira enim est eos virtutis et zelus : sic *Aetor.* XVI, 16, dicitur : « Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatrie delium exitibem » graeco, *ακατάρατος*, id est *accolutus*, inflammatus, irribatur spiritus ejus in ipso videns idololatriam existentem.

QUAE NIHIL VELAT. — Graeco, *ἀκατάρατος*, ejus *primo* et *optima* vox est Valenti interpretis est, *quae nihil velat*; *secunda* Complutensium, Dionysii, holiot et aliorum, *quae nihil vel nonnisi velat*; facta S. Anselmi, lib. *De Incarn.*, *providens, possibilibus*; *quarta* Vatabli, *prohiberi necesse*; *quinta* Jansenii, Pagnini, Montani, *expeditis*; *sexta* Cantacuzeni, *cujus potentia resisti non potest*; *septima*, ad verbum ex Graeco, *quae nihil reperiunt, prohibet, averit, avertit*, quo minus pergat in eo, quod semel cepit, legitur, quod in multis Vulgata exemplaribus olim legabatur, *quae nihil velat benefacere*, recte ex Graeco et correcloribus Vulgata exemplaribus correxerunt Romani, *quae nihil velat, benefacens*; « benefacens » enim est aliud epithetum, de quo mox.

Sensus est, q. d. Sapientia divina, neque ac Spiritus Sancti, tanta est providentia et potentia, ut nullas cor memorari, prohibere, inhibere, sistere vel impedire velent; sed ipsa potius omnes et omnia sibi obedientia impedit, sistat, dispellat et disiciat; est miotis; unde S. Ambrosius legit, *providens, possibilibus*; et Cantacuzenus : Eius, inquit, potentia resisti non potest, permittit corpora, animas, mentes; non impeditur ejusquam duritia aut impulsu : « Nec est qui se abscondat a calore ejus, » *Psalm.* XVIII, 7. Nulla est tanta malitia, quae vincat sapientiae bonitatem, ut dicitur hoc cap. vers. ult. Sic Saulus illi resistere nequivit, sed ab ea ardivit : « Durum est tibi contra simulum calcitrare, » ideoque ex Saulo factus est Paulus, *Actor.* IX. Nullum cor, quantumvis durum, gratie De

enim datur, ut cordis durities auferatur, ait S. Augustinus. Unde Noster a Castro *zaduro* exponit : *Expeditus, cui agenti nihil obstat, prohiberi necesse, nullus imperio addictus, qui non possit prohiberi* : ita enim vi sua pervadit omnia, ut impedimenta quoque perempit. Gregorius Nazianzenus explent, *ἀκατάρατος impeditus*, hoc est, liberam habens potestatem.

BENEFACENS. — Graeco *εὐχάριστος*, id est *benefacens*; Pagnius et Montanus, *probus, coar et reba ut benefecia praestantia*; bene, rite, recte, facilitate, felicitate, apte, preclate factus, operans; *benefacens*; S. Ambrosius, *manifestus*, qui liberalis est in suos, cosque pariter facit liberos, « Dat omnibus affluentem, nec improperat, » *Job.* 1, 3. Sic Christus a petransit benefacendo et mandando omnes oppressos a diabolo, *Aetor.* XIX, 33 : bonum enim est sol diffusivum. Hinc dicitur quia summe bonus, summae pariter se suique etiam in peccatis et iniquis communicat, uti docet S. Dionysius, *De Divin. nomin.* in *Doct.* Proprium ergo Dei et divinitatis opus est, boni facere; hinc illud *epistol.* II *Joan.* XI : « Qui benefacit ex Deo est : » et illud Pauli, I *mo Christi* : « Deus est magis datus, quam accipere, » *Aetor.* XX, 33; et illud Nazianzenus, *orat.* *De Cura pauperum* : « Esto calamitoso Deus ; » nulla enim alia deo magis homo accedit ad Deum, quam benefacendo, ut docent *lib.* Nazianzenus et S. Leo, *serm.* 40. Deus enim est innumerus beneficentis sed, radios bonitatis suae in omnes et omnia diffundens, Graecum *εὐχάριστος* proprio idem est, quod *benefacens*, ita scilicet ut non tantum per se benefaciat, sed et aliis omnibus benefacendi facultatem simul et voluntatem aspiat; adeoque quod beneficis ejus rite utamur, id ex ipsomet, tanquam ex uberrimo fonte, hauriamus; cuiusque suis bonis et donis exime aliquam auget, id eo consilio facit, ait S. Leo, *serm.* 40, ut illa per divitis manum in alios derivat : ut cum aquas in thesaurum sive arcam congregamus, id facimus, ut inde per euripos in multorum domos demittamus. Reges, imperatores, pastores unum aut alterum seignit, cuius manu flant elemosynae; ad Deum tot ei numeri praeficit, quod sua bona distribuit : quosque veteres, teste Eusebio, lib. I *De Preparat.*, et Plinio lib. II, cap. VII, Beneficos velut vivas Dei imagines, et, simulacra divino nomine imbuta, venerabantur : quoniam et reges vocabantur *Evorgene*, id est *benefici*, ut ait Christus, *Luc.* XXII, 23.

23. HUMANUS, BENIGNUS, STABILIS, CERTUS, SECURUS, OMNIBUS HABENS VIRTUTEM, OMNIA PROSPICIENS, ET QUI CAPAT OMNES SPIRITUS : INTELLIGIBILIS, MUNDO, SUBTILIS.

HUMANUS, BENIGNUS. — Graeco est una vox *εὐχάριστος*, id est *hominum amator*; unde *εὐχάριστος* a Paulo, *Titum*, cap. III, 4, vocatur insignis ille Christi amor in homines, quo se eorum causa hominem fecit, id est hominum cognatorem et fra-

trēm. *Humilis* ergo idem est, quod amans homines, ita ut totus eorum saluti incubat. Sapientia enim divina hominis causa totum mundum creavit, angelos illi custodes dedit; quin et Verbum in carnem, ac Spiritum Sanctum in apostolos ceterosque fideles misit, ac innumera eis dona contulit, et in dies confert. Hinc Philippus Solitarius, lib. III *Dioptrae*, cap. III et V, notat Deum ausquam diei *ἐράτρη*, sicut dicitur *ἐράτρη*: nam «nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ,» ait Apostolus, *Hebr.* II, 16. Quocirca S. Chrysostomus Deum magis amasse homines, quam angelos docet, hom. 21 *in Gen.*, imo magis in dies amat, præsertim cum seipsum in Eucharistia hominibus in epulum proponit: ibi enim «divini sui erga homines amoris thesauros in homines effundit,» ut ait Tridentinum, sess. XIII, imo S. Joannes, cap. XII: «Cum dilexisset suos, inquit, qui erant in mundo, in finem (tunc vite, tum amoris, id est extremo amore) dilexit eos.»

STABILIS. — Tum quia spiritus sapientiæ, æque ac Spiritus Sanctus, idem semper est, sibi que constat, et est immutabilis; tum quia fidelis est, et quæ promisit infallibiliter præstat; tum quia animas, quas inhabitat, facit in bonis propositis et operibus stabiles, constantes et perseverantes, ut in iis confirmetur, sintque sancte et sanctæ.

CERTUS. — Græce, *ἀσφαλις*, id est *firmus*, munitus, tutus ab omni hoste, adversitate, periculo, ideoque securus, ut sequitur. S. Ambrosius vertit, *integer*; S. Bonaventura, *constans in bono*. «Certus» ergo hic aliam significat, quam paulo ante: ibi enim græce est *εὐαρις*, id est *manifestus*, perspicuus, evidens; hic vero est *ἀσφαλις*, id est *tutus*, cautus, carens periculo, integer, bene munitus et custoditus, certus se nihil detrimenti passurum; item minime titubans fallente pedis vestigio, haud periculosus, qui titubare aut falli nescit, qui frustrari vel frustrare nequit; sed firmus certusque est in omnibus, cui te tuaque omnia indubitanter credere possis; cum homines etiam sapientes et potentes sepe titubent, vacillant, lapsent, cessitent. Gentiles Neptuno maris deo cognomen dederunt *Asphaltis*, id est *tutus et securus*, ob navium in portibus tutam a tempestatibus fidamque stationem, eique juxta portum templum exere, teste Pausania, lib. III et VII. Verum hoc *Asphaltis* cognomen, non nisi Sapientia Dei et Spiritu Sancto competit.

SECURUS. — Græce, *ἀσφαλις*, id est *sine cura*; S. Ambrosius, *sive sollicitudine*, tranquillus, quietus, eo quod totus sit et bene munitus, uti præcessit, ac suo securus, tranquillus ac lætos præstat: nam «secura mens, quasi iuge convivium,» *Prov.* XV, 18. Sancti ergo in quibusvis periculis, tentationibus et tribulationibus secure dormiunt in providentia et cura Spiritus Sancti, sicut infans dormit in sinu matris, juxta illud S. Petri, I *epist.* cap. V, 7: «Omniem sollicitudinem vestram proicientes in eam, quoniam ipsi cura est de vo-

bis.» Hinc «justus» Spiritu Sancto rectus et protectus, «quasi leo confidens» in quibusvis terribiliter «absque terrore erit,» *Prov.* XXV, 17, nec timet, sed gaudet vitam præsele tem perdere, ut beatam et æternam mereatur, *Matth.* X, 28: *vide Isaiam*, cap. IV, vers. 6, et cap. XXXII, vers. 18, et cap. XLVIII, vers. 22.

OMNEM HABENS VIRTUTEM. — Græce, *πανδύναμος*, id est *omnipotens*, vel *qui omnia potest*, uti legit S. Ambrosius; vel *omnipotentia præditus*, uti vertit idem S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, q. d. Sapientia Dei omnia potest, adeoque suos facit quasi omnipotentes, juxta illud Pauli: «Omnia possum in eo, qui me confortat,» *Philipp.* IV, 13; quia «si Deus pro nobis, quis contra nos?» *Rom.* VIII, 31. Sapientia enim Dei et Spiritus Sanctus potest omnia creare, æque ac gubernare, tam quæ natura sunt, quam quæ gratia; tam quæ artis sunt, quam quæ virtutis; tam quæ juris, polestatis et domini sunt, quam quæ medicinæ et sanitatis: omnibus enim morbis tam corporis, quam animi saluberrima et efficacissima exhibet pharmaca. Denique potest armare valdissimos exercitus angelorum, hominum, animalium et creaturarum omnium contra impia hostes suos, uti dixit in fine cap. V. Unde apostolos induit virtute ex alto, *Luc.* XXIV, 49, ut omnes principes, populos, philosophos, omnes mundi delicias æque ac terrores, omnia tormentorum et martyriorum supplicia forti animo adirent et superarent.

Hanc sapientiæ divinæ vim veteres mythologi et hieroglyphici repræsentarunt per hastam Palladis. Audi Pierium, *Hierogl.* 42, cap. XIX. Quod Palladem armatam ubique conspicimus, indicat arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur: nam stulto præcipitque ingenio imperatores quot et quantas, et sibi et republice calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, cades illæ insignes ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas acceptæ facile ostenderunt. Porro autem hasta in manu Palladis, ingenii vim atque promptitudinem ostendit; unde apud Martianum legas:

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

Hoc est quod canit Psaltes, *Psal.* XXXII, 6: «Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum,» ubi per *spiritum S. Basilii* et *Cyrilli* intelligunt Spiritum Sanctum.

OMNIA PROSPICIENS. — Vatablus, *omnia prospiciens*; græce *πανόρατος*, id est *qui omnia spectat*, vel *speculator est omnium*, uti locis citatis legit S. Ambrosius; vel *lustrans omnia*, uti legit S. Gregorius; vel ad verbum *omnium episcopus*, id est *inspector*, q. d. Dei sapientia et providentia, æque ac Spiritus Sanctus agit totius mundi episcopum: nam instar episcopi agit altissima aternitatis suæ specula omnia inspicit et circumspicit, etiam secreta cordium omnia scrutatur, et visitat, utrum suo munere rite fungantur. Sur-

sum omnibus prospicit et providet de rebus necessariis et utilibus: ita Cantacruenus. Denique singulari inspirat curam et providentiam futurorum, ut quisque suo saluti et future felicitati prospiciat: nam «circumspicimus presentia, prospicimus futura,» ut ait Donatus. Idem ergo facit episcopus in sua diœcesi, rex in suo regno, dux in suo ducatu, magistratus in sua civitate, paterfamilias in sua domo, ac fidelis quisque in sua anima: sic quisque in suo officio et gradu imitabitur Dei sapientia. Unde S. Augustinus, tract. 31 *in Joannem*, sic eum quemque, etiam laicum alloquens: «Cum ergo, inquit, auditis, fratres, Dominum dicentem: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*, nolite tantummodo bonos episcopos et clericos cogitare; etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, bene vivendo, elemosinas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus poteritis, predicando, ut unusquisque, etiam paterfamilias, hoc nomine agnoscat, paternum affectum suæ familie se debere pro Christo; et pro vita æterna suos omnes admonet, docent, hortatur, corripit, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam; ita in domo sua ecclesiasticum, et quodammodo episcopale implet officium ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.»

Hæc illudens Ecclesia Sabbato post Pentecosten, ita orat et obsecrat: «Spiritum Sanctum, Domine, quæsumus, benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur.» Nam, ut ait S. Chrysostomus, serm. 1 *De Spiritu Sancto*: «Ipse est spiritualis mentium nostrarum sol, interni nostri hominis lumen, luster in pectoris celo.»

ET QUI CAPIT OMNES SPIRITUS: INTELLIGIBILIS, MUNDUS, SUBTILIS. — Ita Romana; verum Græca hæc omnia legit in genitivo, qui latine vertitur per accusativum, referuntque ad unum idemque spiritus sapientiæ officium: sic enim habent, «Et qui omnes capit spiritus intelligibiles (Vatablus, *rationales*), mundos, subtilissimos;» itaque legit Nazianzenus, orat. 37, cum ait, «per omnes spiritus penetrans, intellectuales, puros, tenuissimos (hoc est per angelicas, ut opinor, copias) quemadmodum et per propheticos et apoteticos;» et S. Ambrosius; «et per omnia, ait, penetrans spiritum intelligibilem»: sic quoque legit nonnulla Biblia Latina, ac S. Bonaventura, Rabanus, Vatablus, Clarus, Jansenius, ac Cantacruenus, qui per tria ultima spiritum epitheta, consent denotari tres angelorum hierarchias, quibus dominatur Spiritus Sanctus, q. d. Spiritus Sanctus capit, id est perficit (ideoque in eis degit et residet) spiritus intelligibiles, id est angelos perfectissimum intelligentia præditos, quales sunt omnes primæ hierarchiæ, puta cherubim, seraphim et throni; item omnes spiritus mundos, id est omnes angelos secundæ hierarchiæ, puta dominationes, principatus et potes-

tates, qui ob puritatem affectuum liberi sunt ab omni animi passione et perturbatione, ideoque idonei ad regendum et imperandum; denique Spiritus Sanctus capit omnes spiritus *subtilissimos*, id est omnes angelos tertie hierarchiæ, quales sunt virtutes, archangeli et angeli, qui quia sunt spiritus subtilissimi, hinc nobis sunt invisibiles. Favet huic lectioni, quod ipse spiritus sapientiæ paulo ante vocatus sit *veritas*, id est *intelligens*, item *incoquinatus*, id est *mundus*, denique *subtilis*. Ergo id non videtur repetendum hoc loco, sed legendum in plurali, *intelligibiles, mundos, subtiles*, ac referendum ad spiritus creatos, quales sunt angeli. Verum pleraque exemplaria latina constanter legunt in nominativo, *intelligibiles, mundus, subtilis*, itaque legit Editio a Romanis correctæ: concludens enim Sapiens repetit et inculcat tria præcipua sapientiæ divinæ et Spiritus Sancti epitheta, quæ causæ sunt, cur ipse capiat omnes spiritus. Facilis est lapsus ex *in* e, ut pro *veritas* scriptum sit *veritas*; pro *καθαρός καθαρός*; pro *πανόρατος, πανόρατος*, hoc est, pro *intelligibiles* scriptum sit, *intelligibiles*; pro *mundus, mundos*; pro *subtilis, subtiles*.

Sensus ergo est, q. d. Spiritus sapientiæ, æque ac Spiritus Sanctus capit, id est infime permeat, penetrat, occupat, continet et complectitur omnes spiritus, tum hominum, tum angelorum, eo quod ipse summe sit intelligens, mundus et subtilis, imo sit ipsa increata immensaque intelligentia, munditia (sive puritas) et subtilitas, itaque que omnis omnium spirituum creatorum, puta hominum et angelorum intelligentia, munditia et subtilitas ab eo ceu perenni fonte dimanat et profluit, uti paulo ante dixi. Hosce ergo omnes ipse in se capit et continet, primo, quia omnes eorum dotes et perfectiones, non tantum emittenter, sed et formaliter in se continet; verum infinites plenus et perfectus, quos sint in hominibus et angelis, utpote creaturis suis, quas ipse ut Creator in infinitum superat et transcendit. Secundo, quia omnes eorum secretissimas cogitationes, volitiones, intentiones scrutatur et pervidet. Tertio, quia omnes purgat, illuminat et perficit, intellectum eorum sua luce illustrando, et voluntatem amore inflammando; itaque illas ceterasque animas potentias agit et impellit ad omne bonum. Denique ipse dat omnibus essentiali et proprietate, imo quidquid habent, sive id sit naturale, sive supernaturale. Insuper eis communicat vim penetrandi et capiendi spiritus quoslibet, indendo eis donum discretionis spirituum, per quod secretas cordium intentiones perspicant et discernant. Porro Spiritus hic dicitur *intelligibiles*, græce *εὐαρις*, id est *summa et intelligendi præditus*, omniaque intelligens, et a nobis intelligi faciens. *Mundus*, quia omnis non tantum peccatis et labis, sed et materie est expers, purissimusque est spiritus, ita S. Bonaventura; item quia omnes hominum sordes, vi-